



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 18. Patris Laureati Visitoris declaratio circa media pro incolumitate  
Missionis Sinicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII. remisit, Crucem tamen cum omni ve-  
 A. C. 1721. neratione recepit.

## §. XVIII.

*Patris Laureati Visitatoris declaratio  
 circa media pro incolumitate Mis-  
 sionis Sinicæ.*

**D**ie prima Februarii Pater Suarez a  
 Roveda salutatus eidem declara-  
 bat, credere se, quod Pontificis Con-  
 stitutio merum sit præceptum Eccle-  
 siasticum I. quia in Constitutionis fron-  
 tispicio non legatur *Constitutio*, sed  
*præceptum*, nec in titulo dicatur: *ad  
 perpetuam rei memoriam*, sed *ad futuram  
 rei memoriam*, II. quia ibi observantia  
 omnibus inculcatur, *quantum in ipsis  
 est*, quæ verba non fuissent apposita,  
 si Constitutio esset absolute de fide,  
 III. quia Pontifex de natura Rituum  
 erat male edoctus. IV. Quia Ponti-  
 fex magnam Constitutionis partem per  
 permissiones sibi a Legato submissas re-  
 tractavit. Altera die Pater Joannes  
 Laureati Japonis & Sinarum Visitator  
 ad Legati mandatum scriptotenus ex-  
 posuit rationes, ob quas Missionarii  
 munere suo post allatum Papæ præce-  
 ptum fungi recusaverint: Erat autem  
 hoc scriptum tenoris sequentis.

Duo



Duo jussit die 30. Januarii Domina-  
 tio vestra illustrissima & excellentissima Sæc. XVIII.  
 A.C. 1721.  
 præsentibus RR. PP. Sociis legationis  
 & PP. hujus Collegii, primum ut  
 scripto dem rationes, quibus moti Mis-  
 sionarii in civitatibus Sinis deposuerint  
 munus Missionariorum post allatum præ-  
 ceptum Apostolicum Anni 1715. Alte-  
 rum, ut indicemus medium aliquod  
 pro incolumitate Missionis.

Pro I. Prima ratio onus gravissi-  
 mum impositum conscientiis nostris,  
 & fortasse majus quocunque onere im-  
 posito homini Religioso & Missionario  
 inter infideles.

II. Nulla spes, imo positiva despe-  
 ratio assequendi ab accedentibus ad  
 Baptismum & pœnitentiam sacramen-  
 talem debitam dispositionem, & sincerum  
 propositum renuntiandi hujusmodi  
 ritibus, quia id sibi impossibile esse dicunt:  
 afferuntur passim a Missionariis even-  
 tus, qui hoc confirmant.

III. Metus gravis incurrendi fre-  
 quentissime in graves censuras, quæ  
 ab omni christiano timendæ sunt.

IV. Metus exponendi Christianos  
 periculo apostasiæ, sicut defacto multi  
 recesserunt ab Ecclesia per factam præ-  
 cepti Apostolici publicationem.

V. Metus gravis exponendi animas  
 perditioni æternæ, frequenter audivi-

*Hist. Eccles. Tom. LXXI.* E mus



Sæc. XVIII. A. C. 1721. mus ab illis, qui periculo mortis liberati sunt, se ideo tantum promississe obedientiam præcepto, quia alioquin ultimis sacramentis privandi forent, vel promississe, si moterentur.

VI. Quia non habemus rationes, quibus Christianis suadeamus obedientiam: si illis proponimus sinistrum sensum rituum, ipsi negant, & asserunt, se habere evidentes rationes in contrarium, si illis dicimus, Pontifex præcipit, respondent cum indignatione, contra illos, quibus Pontifex aures dedit.

VII. Propter dubia contra latitudinem præcepti, & modum illud publicandi.

VIII. Periculum ab Imperatore & Tribunalibus, tum pro tota Missione, tum pro nostro capite. Nemo ex patientia diuturna Imperatoris infert, periculum non imminere, ideo timendum, ne diu læsa fiat furor.

Istæ inter alias plures sunt præcipuæ rationes, propter quas cessatum est ab administratione sacramentorum, præceptum certe non est affecutum illum finem, quem sibi summus Pontifex proposuit, ut nempe omnes idem sentiamus, cum nunquam fuerint tot agitationes diversæ, quam post illud emanatum, adeo ut non solum unus ab alio



alio discrepet, sed plures ipsis non co- Sæc. XVIII.  
 hæreant, nunc administrando, nunc re- A. C. 1721.  
 linquendo administrationem, rursus  
 reassumendo, iterum deserendo.

Ad secundum petimus, ut pro sua  
 Sapientia & iustitia ruinæ Missionis, &  
 extremæ necessitati christianorum sal-  
 tem provisionaliter consulat. In Colle-  
 gio Pechinensi 2. Februarii 1721. Joan.  
 Laureati Societatis Jesu, Visitator Ja-  
 ponis & Sinarum.

Hoc scripto offensus Legatus huic Vi-  
 sitatori exprobrabat, quod ore & cala-  
 mo sinceram Pontificiis decretis obe-  
 dientiam pro se suisque non ita pridem  
 jurato professus, octo observandæ Con-  
 stitutionis difficultates exponere aude-  
 ret: Ast hic inter lacrimas & suspiria  
 se violenter ad id a quodam adactum  
 fuisse, & Constitutionis observantiam  
 a suis obtineri haud posse fassus, de-  
 clarabat, se hac urbe excessurum, &  
 Sacramenta deinceps administraturum.

§. XIX.

*Legatus Apostolicus ab Imperatore  
 valere jussus.*

Die quinta Februarii Imperator ad *Du Halde*  
 Urbem Cham Chum Tven profectus *l. c. p. 156.*  
 Legatum, ut biduo post illuc veniret,  
 rogavit, qui ei ad alloquium die decima  
 quarta

E 2